

*lelam* sistit Æquator, ubi Horizontem vel rectè vel obliquè secat, vel cum ipso parallelus est & coincidit. Vid. Fig. 12. 13. 14.

Tertiò *Plagas* totius Sphæræ mundanæ determinat Æquator. Præterquam enim, quod interfectione sua cum Horizonte plagas longitudinarias, ORTUM nimirum & OCCASUM designet; etiam vergentiâ polorum suorum à Zenith vel Nadir versus Horizontem plagas *latitudinarias*, BOREAM nimirum, vel *Septentrionem*; & AUSTRUM, vel *Meridiem*, definit, quarum illam, nempe Boream, ex Terrâ respicienti, ORTUS est à dextris; OCCASUS à sinistris, cæteris ordine sequentibus. Plagas *altitudinarias* nempe ZENITH & NADIR, ipsa linea directionis, & secundum eam erecta statura humana, quovis loco monstat, vid. Fig. 10. & Tabula seq.

## III.

*De Triplici Sphæræ Positu.*

§. 5. *Sphæram Rectam* habent, qui vestigium Æquatoris, h. e. sub Æquatore cœlesti similiter descriptum in Terra tractum circulare, *Æquatorem* nempe *terrestrem*, per mediam Americam, Africam & Insulas Indicas transeuntem, inhabitant, ubi polorum uterque incumbit Horizonti, plagamque altitudinariam utrobique se ipso definit: ubi primarius Verticalis cum Æquatore coincidit, adeoque Latitudo mundani Spatii cum cognomine Latitudine Cœli secundum totum exactè congruit.

*Parallelam Sphæram* agnoscunt, qui sub utroque Polo degunt, quibusve Polorum alter in verticem, alter in punctum pedale cadit, ubi nulla distinctio plagarum per certum Characterem Cœlestem datur, totâ latitudine Cœli, v. g. Septentrionali, in Hemisphærium superius vel inferius mundani Spatii cadente, ut dimidia pars Cœli Septentrionalis in Hemisphærio Spatii Meridionali contineatur, & vice versâ:

*Obliquam Sphæram* utrinque reliqui Terricolæ experiuntur, quibus alter Polorum supra Horizontem elevatur, alter deprimitur, altitudinis arcu, qui quadrante minor est, ita quidem, ut Polus inter Verticem & Horizontem cadat. Unde si à Vertice per Po-  
C lum